

h. 1153

LAURUS AEIOAAHΣ,
HOC EST,

(X2000325)

Wg
1396

DEVOTISSIMA GRATULATIO

DE

SECUNDIS NUPTIIS

ILLUSTRISSIMI COMITIS AC DOMINI,

DN. HEINRICI PRIMI,

JUNIORIS LINEÆ RUTHENI,

COMITIS AC DOMINI A PLAVIA, DOMINI

IN GREIZA, CRANNICHFELDA, GERA, SCHLEIZA
ET LOBENSTEINIO, ETC.

DOMINI AC NUTRITII NOSTRI

GRATIOSISSIMI,

IN

PUBLICA ERUDITORUM PANEGYRI

INSTITUENDA.

AD QVAM

Maxime Venerabiles

DNN.

INSPECTORES,

OMNESQVE EX ERU-

DITORUM ORDINE

OPTIMO HEROI

DEVOTOS,

Observantia, qua decet, singulari, humanitateq³

INVITAT

M. JOHAN. FRIDERICUS Köber /

Ill. Ruthenei Rector.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

GERÆ,

Excudebat Georg. Heinr. Mullerus.





Ad metam pervenit, Dei immorta-
lis benignitate, veteris anni curriculum, &
hinc novus procurrere alius, ejusdem gra-
tia (quod & faustum ac felix, nobisque o-
mnibus jubeat esse salutare!) incipit. Admi-
rabile hoc Dei beneficium est, quod dissimu-
lari à nemine, efferri autem ac celebrari ab omnibus debet.
Jam velut à majoribus ad nos propagatus ac traditus mos est,
ut nonnisi auspiciatissima quæque & faciamus & dicamus sub
novi anni initium: ita boni ominis ergò & votis nunc per-
strepunt omnia, & recolit quisque pro sua in Deum pietate,
quibus anno præterito mactus, ac veluti coronatus est donis.
Romæ olim auspiciatore anni die nova à novis Consulibus
laurea Jano, vetustissimo Deorum, suspendebatur. Et con-
stat ex antiquioribus literis, Principibus viris à subditorum
cœtu, ipsis Kalendis Januariis, ex singulari tanquam voto,
laurum oblatam fuisse cum devotâ gratulatione. Quid ergò
partium nostrarum sit, quivis cordatorum pervidet facile,
nec deliberandum diu ac sollicitè est, cui Musæ nostræ Ruthe-
nicæ nunc laurum debeant ex voto. Musis & Apollini præci-
puè, præfidi illarum, laurum sacram fuisse quondam, quotus-
quisque tam rudis literarum est, quin sciat? Et ad quem potius
pertinere nunc laurum putemus, quàm ad **ILLUSTRIS-**
MUM COMITEM AC DOMINUM, DOMINUM
HEINRICUM PRIMUM, JUNIORIS LINEÆ
RUTHENUM SENIOREM, COMITEM AC DOMI-
NUM A PLAVIA, DOMINUM IN GRAIZA, CRAN-
NICHFELDA, GERA, SCHLAIZA & LOBENSTEI-
NIO, HEROEM PISSIMUM, PLACIDISSIMUM, PRU-
DENTISSIMUM, DOMINUM AC NUTRITIUM NO-
STUM

STUM GRATIOSISSIMUM? Etenim & Pater Patriæ est
Optimus Maximus, lauru dignissimus, & propter nuptias se-
cundas, cum ILLUSTRISSIMA COMITE AC DOMI-
NA, DOMINA MAXIMILIANA, COMITE AB
HARDEK. &c. VIRTUTIS EMINENTISSIMÆ CO-
MITE, superiori Autumno contractas, laurum vel maximè
meretur. Quam quidem imponere jampridem DIS CHA-
RISSIMO CAPITI, & in ipsis quidem nuptiarum Illustrissi-
marum solennibus par fuisset & æquum, aut & cum DOMI-
DUCUS EXOPTATISSIMUS ILLUSTRISSIMAM CON-
JUGEM NOVELLAM ad Schleizenses suos primùm ad-
duceret. Verùm expectandum esse Musis nostris gratiosissi-
mum EJUS ad nos adventum rati fuimus; si fors contigere id,
nobis applaudentibus, posset. Sed & gratulatio nunquam fera
nimis est, si seria sit ac pia. Neque verò magnum satis videtur
gaudium, quod statim, ac mente concipitur, expromi potest:
differendo & perpenditur rectius & lætiora sumit incrementa.
Suscipè igitur, DYNASTA GRATIOSISSIME, suscipe se-
renâ fronte, quam offerimus laurum, coronam inde confectâ,
TIBI IN CAPUT MAXIME VENERANDUM cape.
Optimè inter se lauro convenit & myrto, adeò quidem, ut, ubi
quondâ lauri adhibitus ramus fuit, non temerè defuerit myr-
tus, certè in alterius locum altera surrogata & usurpata non ra-
rò legatur. Quin ipsum Apollinem suum myrteo sermo redimi-
tum celebrant Camœnæ. Quarum ore sic canit Tibullus:

Intonsi crines longa cervice fluebant:

Stillabat Tyrio myrtea rore coma.

Cœterùm myrtus consecrata antiquissimis temporibus Veneri
fuit formosæ, teste virgineo Poëta, inter omnes facilè principe,
ejusdemque capil' os myrto vinctos, ingeniosissimus Naso au-
tor est. Quæ cum ita sint, non putamus Tibi dividiæ fore, si
laurui audemus myrtum jungere, cincturi CAPUT TIBI
PRÆCELSUM. Etenim, non solùm ex TUA cura, provisio-
ne & clementia, secundum DEUM, tranquillitas temporum

nostrorum & salus per terras Ruthenicis pendet; quod lauri honorem meretur: sed etiam Conjugio secundo (QVOD TIBI SEMPITERNUM SALUTARE SIT!) per Dei inenarrabilem gratiam, offrenatus & implicatus, tegi jubes

-- -- tua tempora myrto.

Auspicatissimum utrumq; & planè ex voto TUO, TUORUM, nostro omnium! *Maritale* (ait Junius Columella) *conjugium sic comparatum est naturâ, ut non solum jucundissima, verum etiam utilissima vite societas iniretur; deinde ut ex hac eadem societate mortalibus adjutoria senectutis, nec minus propugnacula prepararentur.* Undè præclare in conjugii oforem & justè invehitur Massiliensium Episcopus: *Quid agis, stulta persuasio? Peccata interdixit Deus, non matrimonia.* Sunt enim nuptiæ sancitæ divinitus, & in ipso felicissimo plenoque divinæ amœnitatis nemore, quem Paradisum vocamus, primùm dedicatæ. Et in sui amantissimis priscioris ævi hominibus docuit abundè Deus, nec esse ancipitis fortunæ negotium, & nisi divinis contrahantur auspiciis, non benè prospereque unquam fieri. Quâ de causa Ebræorum vetustissimi statuerunt magistri, nemini bonam ex sententia uxorem, nisi Deo indulgente ac despondente quasi, ductam fuisse. Idem gentiles, vera quamvis veri Dei notitia destituti, credidere, ideoque diligenter captârunt auspicia, cum aliis nupturi, & operosis adeò sacrificiis Deorum sibi favorem comparare contenderunt. Et quid illud? annon quantivis est, quod Natus Dei unicus, æternus, incomprehensus & pariter omnia Patri Maximo, cum intra humani corporis angustias, immenso suo Numine coactò tanquam & constrictò, in his terris versaretur, non modò interfuit ipse solennitati nuptiarum, sed primo etiam eoq; illustri maximè miraculo commendavit? Quasi commodior non potuisset expectari occasio, mi optime Soter, quâ omnium præter oculos exponeres, quod potentiæ tuæ robur dissimulâras hætenus, & solerti occultaveras consilio. Jubere enim, ut aqua hydriis infusa, in præstantissimum mutaretur vinum; id verò ejusmodi erat, quod non nisi ab eo, qui admirabilem hanc universi molem architectatus ex nihilo est, proficisci queat. Neque verò mirandum magnoperè, tanto honore profecutum fuisse nuptias, qui
au-

unīca vitæ nostræ salus est, Sospitatore[m] CHRISTUM. Neq[ue]
enim ignorabat, has imaginem quandam & sacramentum ge-
nere inenarrabilis nexus ac copulæ, qua sibi (ut Orator Augu-
stus loquitur) adglutinavit hominem CHRISTUS, cum de
castissimæ Matris sanguine se finxit infantem; & nunc quoti-
diè sibi credentium animas connectit & unit. Adeò facer &
auspicatus hic status est, adeò ILLUSTRISSIMUM CA-
PUT TUUM, DYNASTA PERCLEMENS, myrtus non
indecet. Quæ quidem tantò pulchrius TE exornat, quantò
ornatius eandem distinguit, arctiusque ipsi inhæret laurus.
Laurus missa cœlitus Augusto Cæsari, Principum Maximo,
apud Plinium, naturæ non ineptum Secretarium, legitur. Id
quod ubi & quâ ratione factum sit, præter hunc, quem dixi-
mus, Plinium, candidissimus Scriptor Tranquillus, comme-
morat. Et quamvis hoc in dulcedinem fabulæ compositum
videatur ab antiquis; non tamen fictis hominum vocibus de-
bemus, sed omnes in se veritatis habere oumeros fatemur,
GALLINAM TIBI TUAM SVAVISSIMAM cum laureo
ramo, hoc est, MAXIMILIANAM MULTO DILECTIS-
SIMAM non tam ab AQUILA AUGUSTISSIMA, in cuius
quasi sinu Vindobonæ hætenus enutrita est, quam ex alto
benignitatis divinæ promptuario dejectam, vel potius demis-
sam in TUOS castissimos amplexus fuisse. Nam, ut Regum
sapientissimus ait, à Domino uxor prudens est, quam ipse in
sinum mariti tradit pro sua benignitate. Quæ & ipsa (verba
sunt Lemuelis apud Salomonem) pretio margaritas plurimum
exuperat suo, individua quippe omnis vitæ, divinique & hu-
mani juris socia, Mariti in adversis solatium, in secundis deli-
cium, in omnibus, ex ipsâ institutione divinâ, adiutorium.
Nitore quòdam spectabilis solet esse laurus, suaque viriditate
se commendat omnibus, & quia casta ac virginitati potissi-
mum dilecta. idcirco dicitur Claudiano, prægloriosissimo Poë-
tæ, fronde pudica thalamos quondam virgineos obumbrasse.
Ecquid de svavissimâ & optatissimâ MAXIMILIANA TUA
dicamus, DYNASTA GRATIOSISSIME? Emendatissimi
illa exempli COMES est, quæ formam, genus, mores TUO

matrimonio aptissima monstravit, TE q̄ adeò, procul etiam,
ad se blandissimâ quâdam vi illexit, dignissima certè omnium,
quæ in locum & lectum BEATISSIMÆ ESTHERÆ TUÆ
succederet ac transiret. Ad corporis valetudinem non parùm
facere lauri folia, quin & mala averruncare posse, ac fulgurum
ipforum nocumenta; in eruditis literarum monumentis hinc
inde dicitur, idque in confesso apud eruditos est. Quam non
planè confirmata & integra ex omni omninò parte TUA va-
letudo fit, COMES ILLUSTRISIME, nec ignoramus
Tui, & maxime dolemus. Quocirca ut bene firmum quàm
diutissimè TE nobis præstes, non solùm admirandâ TUA
frugalitate ac temperantiâ, quâ & ipsa præter alios innume-
ros lauream deportas coronam, porrò curabis, sed EGRE-
GISSIMA quoque MAXIMILIANA TUA pro summâ,
quâ est, prudentia ac tenerrimo in Te amore sedulò allabora-
bit. Hæc TE fovebit suavissimè, medicâ sublevabit manu
blandissimè, utque animo juxta ac corpore rectissimè, atque,
ut vis, valeas, diligentissimè providebit. Avertet eadem, quam
maximè poterit, quicquid molestiarum arduum onus, quod
in administranda publicâ re, saluteque omnium communi
promovendâ, cum immortalis gloria sustines, creare fortassean
potest. Faceffant hinc procul, & in caput hostium nostro-
rum recidant fulminum ictus, quos machinari aut minitari
hominum improbitas potest! Laurus denique, ut Plinius ait,
pacifera est, & quia semper floret, symbolum esse, si non æter-
nitatis, at saltem diuturnitatis, putatur. Unde Lucretio En-
nius dicitur detulisse primus

-- -- *ex Helicone perenni fronde coronam.*

Igitur, quid lauru, SANCTISSIMO CAPITI TUO, CO-
MES PRÆCELSE, additâ auguremur dicam an exoptemus;
ex facili potes hariolari. Optamus nempe & precamur planè
ex animo, (augurari enim & vaticinari opis nostræ non est;
nunquam mandimus laurum) ut, qui concutere Imperii qui-
etem ac turbare non parum cœpit jam pridem belli furor, ces-
set tandem, securitasq̄ & pax redeant terris nostris, positisque
simul-

simultatibus, floreat lauri instar, amor, concordia, fides.
Quod verò Vos EMINENTISSIMUM PAR, SACROQUE
CONNUBII FOEDERE CONJUNCTISSIMUM, attinet,
non devotè solùm precari, sed & augurari ac sperare (ita enim
Vestri DEO ac virtuti planè penitùs dedicati jubent Animi)
possumus, Vos lauri in morem concordia & conjunctioe a-
nimorum suavissimâ nunquã non florituros. Ut Gallina quo-
què Augustæa, quemadmodum illa apud Plinium, laureum
ramum ferat suis onustum baccis, unde & silva demum pro-
veniat, quæ maximis Victõribus coronas præbeat ac suppeditet,
ea non postrema votorum nostrorum pars est. Quod restat,
ut annum hunc novum & multos sequentes VOBIS pariter ac
RELIQVIS ILLUSTRISSIMIS RUTHENIS OMNIBUS felicissimos vovemus:
ita TIBI TUÆQUE CONJUGI GENEROSISSIMÆ, RUTHENE PRUDENTIS-
SIME, Conjugium sospes, incolume, concors, non interruptum.
Domûs Vestræ perpetua, certè diuturna sit posteritas.
DEUS Vos amet, sospitet, servassit semper. Sera sit immortalitas,
quam Vobis propter Filii sui meritum tribuet DEUS!
Qui & Vos coronet gloriã & honore, & ut constringamus
votorum summam, Aviti Viennensis metro,

*Vivite concordie studio, --- ---
Crescat longævum felici semine germen:
Non annis numerus, vitæ nec terminus esto!*

Et hæc laurus est, quam nec tere Capillis Tuis, COMES ILLUSTRIS-
SIME, me qualicunqne interprete, voluerunt, deerunt L. L. M. Musæ nostræ vel potius Tuæ, ratæ, si non elegantia & facundo ore, pietate tamen, quam sovent erga TE, SINGULOSQUE RUTHENOS, TIBI placituræ. Cæterum ex ipso nutritu VESTRO solenne hoc gaudium ad se imprimis pertinere arbitratus est ADOLESCENS NOBILISSIMUS, ET MAXIMÆ OMNINO SPEI ATQUE EXPECTATIONIS, nimirum JOHANNES FRIDERICUS à Schönberg, Eques Misnicus, ideòque metris adstrictâ oratione

one NOVELLO CONJUGUM ILLUSTRISSIMORUM
PARI in publicâ Panegyri gratulabitur. Qui, ut à MAXIME
VENERANDIS DOMINIS INSPECTORIBUS, RELI-
QVISQVE MUSARUM NOSTRARUM FAUTORIBUS
benevolè & frequenter cras horâ secundâ, quam felicem il-
lucescere finat DEUS, audiatur; id verò est, quod enixè admo-
dum ac humanissimè rogamus. De cætero Vos omnes, ut fe-
liciter annare ac perennare velito, mnemque cum incolumita-
te prosperitatem duit DEUS, devotissimâ animi mente seriò
precamur. P. P. Geræ, d. IIX. Jan. A. O. R.
c1o 1oc LXXIIX.



V077

n. C.



h. 1153

LAURUS AEIOA
HOC EST,

DEVOTISSIMA GRA
DE

SECUNDIS NUB
ILLUSTRISSIMI COMITIS

DN. HEINRIC

JUNIORIS LINEÆ

COMITIS AC DOMINI A P
IN GREIZA, CRANNICHELDA,
ET LOBENSTEINIO

DOMINI AC NUTRI
GRATIOSISSIM

IN
PUBLICA ERUDITORUM
INSTITUENDA

AD QVAM

Maxime Vener

DNN.

INSPECTO

OMNESQVE E

DITORUM ORD
OPTIMO HE

DEVOTOS,

Observantia, qua decet, singulari
INVITAT

M. JOHAN. FRIDERI

Ill. Ruthenei Rec

GERÆ,

Excudebat Georg. Heinr.

